



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

IV. Tres itidem Apostoli eodem ad Calvinum proficiscuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

se videret, imprecatione usum, hac scilicet, ut in tanta necessitate auxilium ferre recusantis studis ac vite tranquillitati, quam unice quærebat, Deus maleficere vellet. Quibus verbis territus, cæpti itineris consilium omiserit. Hic ille Farellus est, quem Calvinus collegam suum passim appellat, qui postea de Carnis resurrectione dubitare cœpit, ut ex Calvinus ad eum scripta epistola videre est. Non multo post Calvinus Catechismi sui telam exorsus, brevi eam pertexit, sumpta à Carostadio forma: quod opus Calvinus sc̄tatoribus ita placuit, ut Excellentens vulgo καὶ ἐξοχὸν appellaretur.

IV. Calvinus Genevæ latibulum fortitus, trium illorum popolarum quib' merces suas per Galliã distrahas commiserat, memoriam nondum deposuerat. Quare per epistolã venire eos ad se iussit. Sic diversis viis iter ingressi ac Genevã appulsi eorum quæ à se gesta essent, Calvino rationes reddiderunt, & quæ porro spes esset, ostēderunt. Huic consilio Sanvertunianus Pictaviensis Senator quoque interfuit. Illos auditos ac de rebus omnibus diligēter instructos, Calvinus in Galliã remisit. Præcipuus eorum conatus circa scholasticam juventutem corrupendam versabatur. Norãt quippe nullibi facilius veneni huius contagionem adhærescere, nec ullibi brevi temporis spatio latius proferpere. Ad universitates quippe omnes fere confluunt qui præcipua olim in Republica munera sunt obtenturi. Et illi quidem quamvis ex æquo mandata strenue exsequerentur, nõ tamen omnes eodem utebantur successu. Bonus homo in primis juventutis in Pictaviensis Academia literis operam stantis cereos animos facile corrumpebat ac quocumque vellet steterat: quinetiam in Nobilium ruri habitantium domos irrepens, plerosq; Calvinus dogmatis inficiebat. Primi ex his erant Fajus in agro Angolismensi, Veracus in Pictonibus. Mirambellus in Santonibus. Nõ idē successus eis Tolosæ fuit, ubi scholarium actiones & studia diligenter à Præceptorib' observabantur. Et sane æterna laude dignissima hæc urbs est, quæ licet post Luteriam maxima civium atque advenarum frequentia abundet, & regionibus hæresi infectis undiq; cincta sit, in Catholica tamen fide cōstanter perseveravit, adeoq; ne unam quidē familiam intra muros suos habet, quæ non sub Catholice Ecclesie legib' vivat. Vernovius unus ex novi Evangelii præconib' dum Genevã revertitur, Chamberiaci deprehensus, cum quatuor sociis flammis fuit exustus. Ramassator post multos labores in Arvernens mor-

tuus est. Bono homine vero quid factū sit, nos fatē. V. Porro Calvinus formam à Farellō introducã, illi quæ apud Bernates est conformem, sequi nõ lens, omnia pro lubitu suo mutare instituit. Et velut homo erat imperiosus & intolerabilis arrogantiæ, sic in omnibus supremã sibi auctoritatē vindicabat. At conatibus ejus magistratus urbanus ac Syndici sese opposuerunt, nihil prius habētes quã ut cum vicinis suis & confederatis eandē religionis, ac præsertim in Cœna administranda formã retinerent. At Calvinus natura ferrox ac ferus etiã nemini omnino voluit cedere; eoq; Cœnã ex forma quam ipse invenerat administravit, hoc ad sui augendam existimationem pertinere existimans, si à nemine quidquam præscribi sibi pateretur. Quæ res turbas non leves in civitate excitavit; eoq; tandem res rediit, ut Curatus quidam Augustinianus quondam eremita, apostata, à Calvino Basilea accersitus, in carcerem conjectus sit. Quoniam verotum Paschatis festum instabat, Senatus Mario cuidam concionandi Cœnamq; administrãdi provinciam dedit. Sed hic Calvinus minis territus, clanculum se subduxit. Tum Farellus & Calvinus ad concionandum progrediuntur, populo tamen persuadere non potuerunt, ut novo illo ritu Cœnæ Domini participarent. Sic ergo non sine gravissima populi offensione Paschatis festum sine Paschali illa celebritate ac cōmunione abiit. Calvinus ipse dicit, quamvis natura timidus esset, coactum se nihilominus, ad sedandas istas controversias, vitam suam præsentis periculo objecisse. Mirum vero est quam in omnibus homo hic timiditas suam præ se ferat, ac pæne ostentet; adeo ut jam morti vicin' circumstantibus Ministris non semel dixerit: *Equidem illud vobis affirmo, ò fratres, me natura timidum esse & meticulosum*. At tam scripta ejus quam ab ipso excitati motus longe aliud testatur. Sed ad magistratum Genevensem redeo: qui metuens ne Calvinus & socii monstri quid alerent, & mutationē in Republica molirentur, Farellum, Calvinum, eorūq; asseclas proseripserunt. In hoc exsilio Calvinus à Zacharia quodam vehemēter fuit oppugnatus ac prostratus. Zacharias is Belga fuit natione, Theologiae Doctor, qui Anno MDCXXXIII. Bernæ Helvetiorum cum Calvino disputationem suscepit. Quum vero Calvinus cum Zuinglio sentire se simularet, Zacharias præsentē magistratu epistolam Calvinus manu scriptam è sinu depromptit, rogans, num manum suam agnosceret. Quum negare non posset, Zacharias epistolam illam coram omnibus.